



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quid sit credere in Deum patrem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

essentia, Matt. vlt. Christus expressit tres personas & unitatem naturę, inquit: Baptizate eos in nomine (non in nominibus, sed in nomine) Patris & Filij & Spiritus sancti. Est igitur hæc fides Catholica, vt vni Deum in Trinitate personarum, & Trinitatem personarum in unitate naturę veneremur, vt inquit D. Athanasius in suo Symbolo, Quicumq; vult saluus esse, &c. Inexpiabile igitur scelus est, non credere, aut spem suam non ponere in summè sapientem, summè bonum, & summè potentem Deum.

PATREM OMNIPOTENTEM,
creatorem cœli & terrę.

CAPVT XXXIII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit credere in Deum patrem.*
2. *Quid Deus pater filijs suis, id est, credentibus vult dare in presenti & in futura vita.*
3. *Quam sit res gloriosa, esse & dici filium Dei, & habere Deum pro patre.*

1.



Redere in Deum patrem, est credere in Deum qui est omnipotens, qui est creator cœli & terrę ac omnium creaturarum, sit pater tuus, & multo maiorem curam de te habeat, quã carnalis pater, sicut dicit per prophetam Esai. 49. Nunquid potest obliuisci mater pueri sui? & si ipsa obliuiscitur, ego tamen non &c. & 1. Petr. vltim. Ipsi enim est cura de vobis. Est quoque certa fiducia, credere & tenere, quòd Deus pater noster est omnipotens, ne quis de potentia Dei patris in iuando dubitet. Si enim Deus pro nobis, quis contra nos &c. Rom. 8. neq; creatura, neque mors, neque diabolus: Si Deus iustificat, quis

quis est qui condemnet? Est quoque credere, quod Deus pater noster, est creator cœli & terrę & omnium rerum, quæ ad nostrum vsum creauit, quo nos sustentare velit, & semper de manu sua reficere. Matth. 6. Scit pater vester quia his omnibus indigetis. Deus depauperari non potest. Sed diues est in omnes qui inuocant nomen eius, Romanor. 10. Credere quoque in Deum patrem, est firmissimè tenere & nullo pacto dubitare, quod Deus qui propter filium suum nobis factus est pater, etiam propter eundem Christum nos recipiat in gratiam, & ex misericordia nobis exhibeat & offerat filium suum cum omnibus bonis filij, Romanor. 8. tanquam certissimum pignus salutis æternæ. Qui ergo sic credit verbo Dei patris nostri, hic rectè cognoscit ac veneratur Deum patrē: quare grauissimum peccatum est, tam pium Deū patrem non agnoscere: est enim patris nomen amabile: si gaudet filius quod principem habet patrem, quanto plūs gaudeat Christianus, quoniam Deum habet patrem?

Non sine causa Deus vult à nobis nominari pater & esse, 2. Cori. 12. inquit Apostolus: Non debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs. Quoniā ergo Deus est noster pater, & nos filij eius, igitur datur vult nobis in præsentī vitæ, necessaria, & in futuro, gloriam æternam. Ad filios enim spectat hereditas ac diuitiæ parentum. Si ergo nos filij Dei, ergo & hæredes, Rom. 8. hæredes Dei & cohæredes Christi. sic Esa. 64. & 1. Corinth. 2. scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. & Rom. 8. Non sunt cōdignę passionēs huius temporis ad futurā gloriam quę reuelabitur in nobis. Habet enim Deus pater noster triplicia opera, quæ in nobis exercet donec saluamur, & ad vitam perueniamus: primò Deus pater creauit nos, corpus & animā dedit & vitæ